

In diesem Bande fehlen die Schriften Nr 39-41.

21. Sep. 1955.

Suchier.

Nr. 60.2.

29
FINITIS IN ESAIAM SCHOLIS
DE
VALLE SPECTACVLORVM

Ff. XXII, 1.

DISSERT

ET

PRAELECTIONES PVBLICAS

IN

FVNDAMENTA CHALDAICA ET SYRIACA

PRIVATASQVE

IN ZACHARIAM ET DANIELEM PROPHETAS

INDICIT

ANDR. GEORG. WAEHNER

Lingu. Or. P. P. O.



ad.

GOTTINGAE,
APVD A. VANDENHOECK, ACAD. TYPOGR.

VALLIS SPECTACULORVM

AD G. W. WÄLDER





Fecistis, Commilitones praestantissimi, Academiae
Georgiae Augustae decus,

- Iohannes Henrice Tode*, Zollenspikero - Lubeca-
Hamburgensis.
Otto Benjamin Lask, Vehrdenfis.
Henrice Mauriti Weipcke, Hannoverane.
Christophore Philippe Liesegang, Hannoverane.
Auguste Christiane Steding, Hannouerane.
Iohannes Leopolde Iuncke, Hannouerane.
Iuste Christiane Stufs, Ilfeldensis.
Iohannes Friderice Lange, Luneburgensis.
Iohannes Georgi Hermann, Memminga-Sueue.
Georgi Henrice Pfizner, Gothane.
Henrice Hartwig Flor, Luneburgensis.
Henrice Iuli Friderice Busch, Hannouerane.
Iohannes Christiane Auenari, Gothane.
Iohannes Gottlieb Schmidt, Gothane.
Friderice Ludouice Christiane Leyser, Hannouerane.
Ioachime Christophore Becker, Gottingensis.
Henrice Conrade Zacharia Rosenhagen, Eitzendorffo-
Hannouerane.
Rudolphe Kemper, Amstelodamensis.
Georgi Christophore Meier, Gottingensis.
Christiane Wilhelme Zindel, Gottingensis.
Christiane Bernharde Kayser, Hannouerane.



Christiane Ludovice Pott, Mündera-Hannouerane.
Iohannes Christiane Kirchmann, Hannouerane.
Iohannes Christiane Erythropel, Hannouerane.
Iohannes Reinharde Wilckens, Hannouerane.
Hartmanne Erneste Tatter, Hannouerane.
Iohannes Burcarde Endert, Koerneia-Gothane.
Iohannes Henrice Meyenberg, Clausthalio-Hannou.
Iohannes Guilielme Seidler, Mindensis.
Iohannes David Kriegk, Ilfeldensis.
Henrice Gerharde Renner, Gotingensis.
Gabriel Christophore Breuhaupt, Dransfelda - Han-
 nouerane.

quorum ego nomina eo, quo in scheda vobis obla-
 ta ipsi scripsistis, ordine pono, quod vestro discen-
 di ardore, industria & doctrina dignum; quod
 mihi iucundum; quod huic academiae gloriosum.
Esaiae Vaucinia, me praeunte, ex fontibus Ebraeis,
 assiduo studio excussistis; arduumque hunc laborem
brumali hoc semestri exantlastis. In intensissimo gelu
 non frigit vestra alacritas. Hibernae niues impe-
 ditum vobis iter reddere non potuerunt. Nemi-
 nem brumales imbres terruerunt, quin iis madefa-
 ctus accederet. Subsellia nunquam vidi; sed viros,
 qui me nondum praesente arrectas iam aures habe-
 rent. Nullius vocem audiui; sed solum calamo-
 rum dicta auide excipientium strepitum. Vestrum
 meum excitauit studium. Equidem numerus estis;
 numerus autem, qui vel in numerosissima academia
 ad hosce labores subeundos satis sit magnus. Non
 enim nisi vobis, & si qui vestrum similes sint, ad
 haec sacra aditus patet. Quotusquisque enim eo-
 rum,

rum, qui sacris se studiis addicere decreuerunt, tam acute audit, vt ad Esaiæ eloquentiam illius aures non obfuscescant? Bene cum plerisque comparatum est, si, *grammaticae ebraeae trivici impliciti, quatuor primos in Sinai montem lento gradu tentauerim passus*. Superbo hi sane cachinno eorum contemnunt imperitiam, quibus sacros ebraeorum fontes adire non sit datum, a se eminus visos, nunquam vero degustandos. Tanta proh dolor! *nostris adhuc temporibus somnolentia* est, vt, sacra ceteris aliquando exposituri, templi adytum intrare ne cupiant quidem, tinnientis aeris, ad id inuitantis, sonum audiuisse contenti. Reprehendimus eos, qui, per patres proavosque traditis nixi, *codicis sacri lectione se supersedere posse* somniant. Hunc solum *omnis sacrae doctrinae genuinum fontem* esse clamamus. Clamamus; neque tamen inspicere laboramus. *Nitidissimas illius editionis in bibliothecis superstiuose seruamus*. Iudaeo autem praesente, ne vnicam quidem illius lineam praelegere audemus. At *peritissimorum virorum versionibus sumus instructi*. Hoccine vero hominibus, non deo, fidem habere est? Pudeat nos, qui *humanam fidem damnamus!* Vidistis, Praeclarissimi Commilitones, *quam parum in versionibus praesidii sit*. Euoluite Esaiam in *Versionibus Germanica, Anglica, Belgica, Latina*, ceteris, a viris admirandae eruditionis conscriptis: inuenietisque, quae vel Oedipo mysteria maneant; in fontibus ebraeis a *Dauid* nullo negotio intelligenda. Quippe homines fuerunt versionum auctores; qui, in difficilioribus nonnunquam feliciter nos expedientes, in facilioribus in-

cauti saepe labimur. In iis igitur quid poterunt versiones, quae ne in ipsis quidem fontibus perspicacissimus satis assequatur? Ibi oculis in ipsum prophetae, non interpretis, *os intentis opus est*: quo a ceteris non intellecta vel eruamus; vel eos, qui ante nos fuerunt, sacri scriptoris mentem non feliciter quam nos ipsos percepisse intelligamus, nec in eorum versiones iuremus. *Est enim aliquid, scire, ea, quae non intelliguntur, non intelligi.* Quoniam tum pro certis non amplectimur incerta; sed in sedulo *inquirendi studio perseveramus.* Cuius industriae is saepe est fructus, ut a nemine adhuc visa nos tandem videamus. Tam autem feliciter esse si non contingat; fecimus tamen, quod cordatorum erat virorum. De ceteris certi esse possumus, *diuinis scriptoribus nihil affingi*; quibuscum sine interpretibus loqui sit datum. *Hac felicitate*, ut, quae nesciant, sciant; & quae sciant, ne nesciant, *desituuntur* ii, qui a *versionibus & Commentariis pendent*; coeci coecorum duces. Frustra autem ad *confirmandas diuinas veritates* ad sacri scriptoris consensum prouoces, quem non intelligas. Tanti est, arduum quidem, qui tamen insuperabilis non sit, non reformidare laborem; sed contra audentiosem ire. Id quod vos fecistis, praestantissimi Commilitones; quorum ardorem, quae huic negotio impenderentur, conduplicatae horae non minorem, sed duplo maiorem, fecerunt; studium, quae se ostenderent multis in locis, difficultates non fregerunt, sed incenderunt.

Vidistis, non *ebraice balbutire* debere eum, vel *solis ex lexicis sapere*, qui in singulis eloquentissimi pro-

prophetarum propemodum lineis nolit desperabundus haerere. Mirati estis *orationis vim*. Sublimes attonitos vos fecerunt *figurae*; eaeque tam apte suo loco comparentes, vt *artificio carere* videatur *artificium*. Qui singula *allegoriarum* viri diuini vestigia premere non didicerit, eum in alia omnia abire, intellexistis. Non rem vnā, sed *diuersissimas, iisdem* saepe *verbis* vir diuinus eloquitur. *Ipsissima* aliorum *verba diuerso significato* acute *retorquet*. Aptissimas habet *prosopopoeias*; *apostrophas* affectu plenissimas. Sed manum de tabula. Esaias fit, qui Esaias eloquentiam ad viuum velit reserare. Praeterea non sola *linguae artisque rhetoricae peritia* interpretem facit, licet sine illa nullus sit. Ad *res in Iudaica & vicinis gentibus gestas* oculos nunquam non intentos habere oportet. Quarum si *idiomatis vel peritissimus* immemor sit; *verborum audit sonum*, *litterarum* videt *characteres*; *prophetae mentem* non penetrat; sed eum *garrire suspicatur*, & *summa imis* miscere; ipse saltem *garrit*, *interpretem agens*, & *omnia miscet*; *vbi tam suaviter oratio fluit*, atque in *flumine saxi* non impedito *vndam vnda* pellit. O! *utinam antiquae historiae momenta* penitus cognita haberemus! *Quantum, quaeso, per ea in sacris monumentis exponendis nobis lucis esset accendendum!* Obscura nobis non pauca manent, nulla scriptorum *sacrorum culpa*, sed propter *historiae, ciuilis, sacrae, litterariae, artificialis, naturalis, rituum, consuetudinum, geographiae, topologiae, defectum, imperfectionem & ignorationem*. Quibus rebus quo *instructior ad legenda diuina scripta* quis accedat,

eo felicius in interiora eorum penetrabit. Nemo autem perfecte; quoniam in his omnes non nisi tirones. *Scimus sane aliquid; sed plura suspicamur.* Vicit, qui, his propaedeumatis bene munitus, scopum, ad quem diuini vatis oratio tendit, indagari nouit. Is vero *ex toto orationis habitu & nexu*, non sine labore, &, si fateri velimus, quod res est, non sine incertitudinis formidine, est inuestigandus.

Non potui, praeclarissimi Commilitones, *varias variorum* vobis exponere *sententias*, temporis breuitate interclusus. Et noluissem fortasse, si per tempus licuisset. Has, si velitis, facili negotio ipsi euoluatis; deque iis, pro vestra in iudicando promittitudine, iudicium feratis. Videbitis, si mea aliquando cum alienis comparare libuerit, quam parum summorum virorum, siue Iudaei illi essent, siue Christiani, me abripi passus sim *auctoritate*. At tamen vestram quoque fidem testor, quod non magis fuerim *temerarius*. Si quod *incerti significatus* vocabulum, quae multa sunt, occurreret, non diffimulaui. Sicubi *prophetae mentem* non satis inspexissem, ingenue sum professus. Definire tentauit, *quo tempore & qua occasione* quilibet prophetae *libellus* esset scriptus, & quodnam illius esset *argumentum*. Sed, ubi essent, coniecturas esse monui: quae si me fefellerint, omnem certo modo corruere explicationem. O! felices *versionum & Commentariorum* patronos, qui nullis his coquantur curis! Nimirum hi omnia sciunt; quia nihil sciunt. Ita habet Lutheri *versio*! Ita Schmidius reddidit! Ita Junius & Tremellius! Ita Rabbi Raschi, ex Grotii *versione*! Ita Rabbi Radak, inter-

interprete Drusio! At quanti hi viri! *Quis vero eorum maximus, ubi in diversa abeant?* Et quid? si *Isaacidis & Kimchii* mentem philologi Christiani interdum non rectius sint assequeuti, quam praefamen honoris *Rabbi* in nominibus *Raschi & Radak* infelices eorum sequaces animadvertant? Feliciores igitur vos, *Commilitones*, qui non ignoratis, quantum sit, quod nesciamus!

Comparent in nonnullorum *Esaiae* libellorum fronte *inscriptiones*; quae *interpretis* curam egregie *teuant*. Sunt tamen etiam in illis, *quorum tenebrae per ipsum libelli argumentum* prius sint *dispellendae*. Ibi igitur *circulo*, eoque minime vitioso, *opus* est; ut per ipsum libellum *inscriptio*, & per hanc libellus vicissim *illustretur*. Speciminis loco illa esto, quae *Cap. XII.* praemissa est: *מַשַּׁא גִּיּוֹן חוֹוִין*. *Vallem visionis*, i. e. *vaticiniorum*, fere omnes interpretes reddunt, *Judaei & Christiani*; per quam *Hierosolymorum urbem* significari contendunt. Antiquissimus eorum, qui supersunt, *ALEXANDRINVS: Το ἕνα τῶν πόλεων τῶν ἐδαρχῶν Σιών*. Qui num *חוֹוִין* pro *חוֹוִין* legerit, an rem, non verba, exponere voluerit, non iam disputamus. *IONATHAN: משל נבואתה על קרתה דיתבא*, *Vaticinium infaustum contra urbem, quae insidet vallem, in quem vaticinia ediderunt prophetae*. *ISAACIDES: גִּיּוֹן חוֹוִין, היא וְרוּשָׁלַם גִּיּוֹן*, *Vallis visionis. Haec est Hierosolyma, vallis illa, in quam plurima edita sunt vaticinia*. Cur vero in montibus exstructa celeberrima haec urbs vallis nomine veniat, explicat *KIMCHIVS:*

B

מַשַּׁא

משא גיא חוון נבואה זו נאמרה על ירושלים וקראה גיא
 חוון לפי שהיא מקום הגבוה ומה שקראה גיא והיא הר
 לכנותה לרעה לפי שהפילה ושבחה לרעהם והשיבוה מהר
 אל בקעה ואינה ראויה שתקרא עתה הר אלג גיא
 (Ad verba,) *Vallis visionis. Vaticinium hoc editum est
 contra Hierosolimam. Quam vallem visionis appellat,
 quoniam vaticinium in ea edebatur. At cur vallem eam
 appellat, quae tamen in montibus sita esset? (At vero
 factum hoc est,) ut cognomen illi daret infaustum;
 quoniam ruinam eius accelerauerant ciues, improbitate sua,
 effecerantque, ut ex monte in conuallem conuerteretur.
 Quare non iam dignam, quae mons appelleretur, vallem
 appellat. Eandem ABARBANEL canit cantilenam:*
 וקרא גיא חוון לירושלים לפי שהיה שם מקור הנבואה
 נמשך ויוצא משפע השכינה אשר בבית המקדש לכן נקראה
 גיא חוון וכן אמרו באיכה רבתי משא גיא חוון גיא שכל
 החיים עומדים ממנה אמר רבי יוחנן כל נביא שלא נתפרש
 שם עירו ירושלמי הוא וניבא הנביא כאן על הרבן ירושלים
*Appellat autem visionis val-
 lem Hierosolymorum urbem; quoniam ibi omnis prophetiae
 scaurigo erat, profluens ex afflatu diuino, sedem suam in
 templo habente. Ea de causa vallis visionis salutatur.
 Idem in Echa rabbarbi dicitur: Vaticinium infaustum val-
 lis visionis, id est, Vallis ex qua omnes vates surrexerunt.
 Dixit R. Fochanan: Omnes prophetae, quorum patria
 disertis verbis non nominatur, Hierosolymitani fuerunt.
 Vaticinatur autem hic vates de Hierosolymorum per Ne-
 bucadnezarem Babyloniorum regem excidio. Interpre-
 tum Judaeorum vestigia Christiani omnes premunt.*
 In

In quorum nouissimis VITRINGA ita: *יהושע בן נון* *הגלילי* sicum nomen est, quo propheta designat Hierosolymam, quod nemo non interpretum vidit. Occurrunt enim in hac propheta certi Hierosolymorum characteres, veluti v. 4. 8. 9. 10. Vbi Vallis haec visionis per Hierosolymam exponitur. At vero mihi semper suspecta haec Hierosolymorum vrbis appellatio fuit. lamque, cum probabiliorem inscriptionis huius explicationem inuenisse mihi videar, non sine confidentia quadam veterem defero.

Ad hunc prophetae libellum delatus, paulo scrupulosius totum illius argumentum ponderare incepi, annon in illo deprehenderentur, quae lucem inscriptioni affunderent. Mirabar, in capitulis exordio prophetam describere Hierosolymitanorum terrorem panicum summamque rerum confusionem & desperationem; eundemque tamen commate 13. *opimitates* eorum & *opipara* damnare conuiuia. Quid, quaeso, hoc noui? Quos ibi Hierosolymorum principes & ciues compedibus oneratos, eosdem hic mensis lactos affidentes conuiuari, generosoque vino se inebriare video! Non ignorabam, quid ad haec dici posset, & diceretur. Breuis autem meditatio miram in animo meo catastrophem peperit; quae *ludum & tristitiam in capitis initio in choreas & gaudium*, non quidem salutare, sed detestabile, reipublicae Iudaeae fatale, illique, de quo in commate 13, *simillimum* conuerteret. *Bacchanalia* detexi, vel *fesiuitates publicas in idoli alicuius*, qualecunque demum id fuerit, honorem. Harum iam spectatores esse oportet; non vt debacchantium nos choreis immi-

B 2

tecamus;

sciamus; sed vt, prophetae verbis nihil affingi, intelligamus.

Propius accedentes, ingentem *spectatorum in tectis* vel *theatris* deprehendimus *cateruam*. Quos indignabundus vir divinus v. 1. alloquitur: מה לך אספה כי עליה כלך רגנות *Quid, quaeso, tibi, & multitudo Hierosolymitana hic negotii est, vt tu omnis tecta conscenderis?* Quanam vos, o Hierosolymitani, dementia cepit, vt tam frequentes *ad profana* haec *theatra* conflueritis? Pudeat vos, qui profana haec sacra detestari debebatis! Quanam vero illa *tecta*, ex quibus *multitudo* ea spectaret? Videbimus infra, in *Valle Hinnom* *idolo libarum* fuisse. Aedium igitur vrbs hanc in vallem prospicientium tecta intelligi possint. Sed *theatra* intelligimus, hunc in finem in ipsa illa valle erecta, vt ex illorum tabulatis multitudo festiuitates intueri illisque applaudere possit. גג, *gag*, enim Ebraeis non semper aedium *tecta* sunt; sed quodlibet cuiuscunque rei vel structurae *supremum fastigium*, vel *superior superficies*. גג והוצג המסוק הגבורה. מוורתו. Sic altaris thymiamatis sacri *superior tabula*, גגו, *gaggo*, *tectum eius*, appellatur. (a) Sint igitur hic בגות, *gaggo*, *tectum theatrorum*; qualis theatri גג, *tectum*, illud fuit, (b) quod *Simson* subuertens plura Philistaeorum millia secum sub ruinis sepeliuit.

Multitudinis insanae studium & laetas acclamationes propheta v. 2. detestatur: ותשואות מלצה עיר הומיה *Festiuitatibus plena est vrbs strepera, vrbs exultabunda*. De ceteris nemo dissentiet. De solo voca-

[a] Exod. XXX, 3.

[b] Jud. XVII, 27.

vocabulo תשובות dubitare quis posset, 'num id *laetum* quoque *populi concursum* significare possit. Id quod exemplis facili negotio docere possemus; nisi VITRINGA, ut isto labore superfedere possemus, effecisset. Illum igitur audiamus: *Videlicet docti illi viri sibi persuaserunt, vocem תשובות, tumultuationes, fragores, necessario sumendam esse in malam partem, sed absque ratione, ut clar.* COCCEIUS iam ostendit; *sumi enim in meliorem quoque partem, patet ex Zach. IV. 7. & Hebraei interpretes hic consentiunt.*

Haec bene. Iam vero quomodo nos expediemus? הללך לא חללי חרב ולא מתי מלחמה *Confossi tui non sunt confossi gladio, nec in bello occubuerunt.* Interpretes *Judaei, qui hostium timore Hierosolymitanos aedium tecta conscendisse existimant, de iis, qui durante obsidione fame perierunt, haec interpretantur.* Nominis omnium KIMCHIVS loquatur: הללך לא חללי חרב כי לא יצאו חוץ לעיר להלחם עם אויביהם אלא נאספו אל העיר ומתו בתוכה ברעב והנה אינם חללי חרב אלא רעב חללי רעב (Ad verba:) *Confossi tui non sunt confossi gladio. Quoniam, ad dimicandum contra hostes, urbe egredi non sunt ausi, sed intra muros se (timidi) continuerunt, ibique fame perierunt; non confossi sunt gladio, sed confossi fame.* Offendant te חללי רעב, *confossi fame.* Sed ipse facer codex eos habet, (c) *Reddantur latine, qui fame perierunt.* Non tamen hos intelligimus, sed illos, qui *sacrificulorum perierant secessibus.* Exprobrat propheta, *vivere per hostes ciues & infantes, qui nefando ipsorum scelere idolis pro victimis sint immolati.*

B 3

Plus

(c) Thren. IV, 9.

Plus in sequentibus difficultatis est: כל קשנד נדרו יחר מקשת אסרו כל נמצאד אסרו יחר מרחוק ברחו. Quae, quibus bellum in oculis est, ita reddunt: *Omnes tui magnates emigrant simul, propter arcus vincti. Omnes, qui in te inveniuntur, vincti sunt pariter. Procul fugiunt.* Intelligunt autem omnes, voci מקשת propemodum vim fieri. Quam *Alexandrinus* negligens, verba interpretatur: *Kai oi ellyvtes anagapōs dedeulvoti ioti.* Ceteri paraphrasibus aptum illi significatum tribuere laborant. Quippe RASCHI: מקשת אסרו אשר מאימרו המורים חצום בקשת היו נאסרים להסגר בתוך העיר וכל הנמצאים בו אסרו יחר בזוקים רובן מרחוק ברחו (Ad verba:) *Propter arcus vincti sunt. Qui timore sagittariorum, tela arcubus iaculantium, (veluti) vincti sunt; dum urbis moeniis se includunt. Omnesque in urbe obvii vincti sunt compedibus. Plerique autem procul aufugerunt.* Paulo aliter KIMCHI: מקשת אופרו כלומר רובי קשרו שרדפו אחריהם השוגום ואסרו אותם והם צדקיהו ושרוי שברחו ויצאו מירושלם לילה ורדפו אחריהם הכשרים וחפשום (Ad verba:) *Propter arcus vincti sunt. Sensus est: Sagittarii, qui eos persequerantur, eos assequuti sunt, & in vincula dederunt. Sermo autem est de Zedekia & purpuratis eius, qui, urbe egressi, noctu fuga salutem quaesiverunt; quos vero persequentes Chaldaei captivos fecerunt.* ולא הועיל לו הברחה: ABARBANELEM subiungimus: כי נלכרו בחצי קשתות האויבים והיא אמרו מקשת אסרו רועה לומר מסבת הקשת ויהיה קשת שם כולל ואפשר לפרש מקשת אסרו שנפל פחד הכשריים עליהם כל כך שמקשת אחת שהיה מורה אדם אחר כנגדם אסרו כלם אלו את אלו להותחם *Non autem profuit ipsi (Zedekiae) fuga, Quoniam per tela arcuum inimico-*

micorum captiui sunt facti. Hoc est, quod (propheta) dicit: Propter arcum vincti sunt. Dicatur autem per arcum, per enallagen numeri. (d) Attamen explicare quoque liceat: Per arcum (unicum) vincti sunt. Quippe tanto Chaldaeorum pauore percussos esse, inquit, ut omnes & singuli per sagittarium unicum, qui arcum contra ipsos tenderet, captiuos se fieri paterentur; cui se omnes in mancipia traderent, ne arcu suo ipsos occideret. Ira Judaei; & ex illis Christiani. VITRINGAE el-liphs placet: אֹסֶרוּ מִדּוּרְכֵי קֶשֶׁת, *Vincti sunt, ut ne tendere possent arcum.* Vel: אֹסֶרוּ מִדּוּרְכֵי קֶשֶׁת *Captiui facti sunt per tendentes arcum.*

Hanc interpretationem cum *vestiis nostris spectaculis* stare non posse, quilibet facile videt. Compedibus enim onerati bacchari non solent. Prophetarum autem verborum hunc sensum esse credimus: *Omnes tui magnates vagabundi oberrant, nemine excepto. Vitris vel seris sunt redimii. Quin omnes eiues illis redimii sunt pariter. Vndiquaque concurrunt.* Quam versionem defensuro quid apologiae incumbat, facile praeuideo. Eaque iure meritoque desideratur. Non enim, in explicando codice sacro, temeritate est utendum. Probetur igitur, נָדָד, *vagabundum oberrare*; מִקֶּשֶׁת, *vittam vel serium*; אָסַר, *redimire*; בָּרַח, *aduolare, significare.*

Vagabundi oberrare videri poteramus legenti apud VITRINGAM: *Vox nadad, נָדָד, receptissima vsu est significatione fugiendi, aufugiendi, persequente hoste.* Refutandi labore superfedere possumus, cum vir cele-

(p) Reddi haec etiam possunt: *Foratur autem arcus pro armis, ut species loco generis.*

celeberrimus non dicat, hunc solum istius verbi esse significatum. Num vero receptior sit, concordantiarum ope cuius inuestigatu facillimum est. Non *fugit somnus* ab homine, (e) persequente hoste. *Abituri, discessuri*, nemine pellente, dicuntur, qui Niniues rudera sint visuri; (f) A vicinis & amicis se *malitiose deseri*, conqueritur David. (g) Israëlitas apostatas inter gentes *vagabundos oberraturos*, minatur Hoseas. (h) Rempubicam Judaicam instar tuguriorum vento *agitati vacillaturam* pingit Esaias. (i) Idem, Assyriorum regis factum descripturus, eleganti propopoeia illius refert gloriolam, se variarum gentium rapuisse opes, ut ex auium nido quis oua auferat, anxia matre, quod alias solet, circa nidum ne *volitare* quidem audente. (k) Plura addi poterant. Sed officio nos hoc in passu functos esse confidimus. *Lymphati* igitur, in profanis festiuitatibus, *oberrarunt Iudaeorum magnates*.

Qua vero metamorphosi in *vittas* vel *seria* abibunt *arcus*? Lectoris iudicio permittimus, an fidem Quidiana maiorem nostra mereatur. מקשת, *mikkescheth*, interpretibus, quod sciam, omnibus est קשת, *kescheth*, *arcus*, cum praefixo מ. Nos illud מ nominis partem facimus, a verbo יקש vel נקש deriuandi. Quomodo nomen formae, משמרת, *mischmereth*, & מסגרת, *misgereth*, erit. Quibus a verbis פ'י & פ'י' deriuata, מצבת, *mazzebeth*, א יצב, & מסכת, *masscheth*, a

(e) Gen. XXXI, 40. Eöh. VI, 1.

(f) Nah. III, 7.

(g) Ps. XXXI, 12.

[h] Hof IX, 17.

[i] Eï. XXIV, 20.

[k] Eï. X, 14.

a מִקַּח, simillima sunt; nisi quis & hic *i* pro *a* requiratur. Habet autem *i*, מִקַּח, *mikkach*, a לָקַח; modo terminatio feminea adesset. Sed quis eiusmodi tricis tam scrupulose implicito satisfaciat? Sane nomen, nemine contradicente, esse poterit, sine praefixo. Iam igitur quid significat? Respondeo, *vittam* vel *serum* significare posse, quod volo; cum a שָׂקַי vel שָׂקַי, *laqueum tendere*, descendat. Quod qui negauerit, hunc ego scepticismi in omni Ebraeorum etymologia reum faciam. Sed si maui, significatum illi dabimus vocabuli ab eodem primitiuo descendenti, מִקְשׁוֹת, *mokschoth*, (l) *tendiculae*; nihiloque tamen minus *vittam* vel *serum* in sacris idoli profanis sumtum significabit. Neminem enim, qui familiarius scriptoribus sacris sit vsus, fugiet, *idola*, תּוֹעֵבָה (m), vel שִׂקָּוָה, (n) *abominationem*, illis salutari; quidni igitur *tendiculam*, qua incauti infeliciter irretiantur, *vittam* vel *serum*, in eorum solennitatibus sumtum? Si quis nomen malit, quod alibi quoque legatur; *mokschoth* per me legere poterit. Sed puncta seruare, & *mikkescheth* legere praestat. At quis tibi auctoritatem dedit, nomen & praefixum in vnum nomen conflandi? At vero celeberrimorum Iudaeorum interpretum ad imitationem id facio; a quibus omnes nostri sua habent. Et fortasse ipse Moses ipsum primitiuum hoc in sensu habet:

(l) Pr. Cxli, 9.

(m) E. g. 2. Reg. XXIII, 13.

(n) E. g. 1. Reg. XI, 5. 7. 2. Reg. XXIII, 13.

(o) Deut. XII, 30.

bet: (o) *Cave, vitam, ad eorum imitationem, sumas. Sic ergo miles armatus sagitarius centrum ferire edoctus,*

Induit albos

Cum vitra crines: tum ramum immectit oliuae.

Fit Calybe, Junonis anus, templique sacerdos. (p)

*Tela elusinus. Ex vinculis autem quomodo nos expediemus? Quam facillime! Verbum אסר asar, quomodo-
cunque ligare, vincire, accingere, in sensu proprio & fi-
gurato, non minus quam in vincula dare, significat.
פירושו קשר או כבל. Asinus & equus arbori vel prae-
fepi alligantur. (q) Currui iunguntur iumenta. (r)
Gladium (s) & balteum (t) milites & heroës accin-
gunt. ISAACIDI, nomine dei, veluti corona, cin-
cinnos redimiti pinguntur. (u) Dux aciem instruit, vel
proelium committit. (w) Obligat se, qui votum suscipit. (x)
Num verba, אסרו חג בעבותים, (y) nostrae quoque
sententiae suppetias ferant, quisque, pro sua eorum
interpretatione, ipse iudicet. Tantum me dixisse
confido, vt intelligi queat, nihil impedire, quo mi-
nus vittis vel feris, quae modo confecimus, redimi-
antur magnates & multitudo Hierosolymitana.*

Num vero denique per fugientes in fugam nos
coniici patiemur? Non patiemur. Est enim ברוך
baruch, ier facere, pedibus, curru, iumentis, nauibus,

[p] *Virgil. Aen. VII. 417. 419.*

[q] *Gen. XLIX, 11. 2. Reg. VII, 10.*

[r] *Gen. XLVI, 29. Exod. XIV,*

6. 1. Sam. VI, 7. 10. 1. Reg.

XVIII, 44.

[s] *Neh. IV, 12.*

[t] *Iob. XII, 18.*

[u] *Cant. VII, 6. Conf. Rosseti ad h. l.*

[w] *1. Reg. XX, 14. 2. Chron. XIII, 3.*

[x] *Num. XXX, 3. 4. 5. 6. 7. 8. 9. 10.*

11. 12.

[y] *Pf. CXVIII, 27.*

bus, *ire, abire, redire, auolare, aduolare*, פרישו נסיה. Significat sane *fugere*, hoste insequente; sed & nemine sequente. (z) Rectius fortasse *abiisse*, Tartessum Jonas, (aa) in Tobianorum regionem Jiphtach, (bb) in praedia sua Leuitae, (cc) dicantur; quam fuga se proripuisse. Sanaballeti gener iussus, ex Nehemiae conspectu *abiit*. (dd) Bileam vates, cum Balaki desiderio satisfacere non posset, in patriam *redire* iubetur. (ee) Per medios tabernaculi sacri asseres *vecetes transferunt*. (ff) At iter cum *celeritate* quadam & *praecipitantia* coniunctum significatur. Et hoc quidem est, quod volo. Vniuersam enim gentem, nescio qua insana cupiditate calcaria iis addente, *concitato cursu* ad infausta illa spectacula *concurrere*, Esaias conqueritur.

Hinc illae *viri diuini lachrymae*, v. 4; quas abstergi sibi nollet. Propter nullas ciuium calamitates tam amarae futurae, quam *propter detestandam hanc apostasiam*. Pios enim poenae grauitas tam acerbe non affligit, quam culpa foeditas. *Horret vir diuinus summam gentis suae dementiam*, v. 1-3. *Inconsolabilem suum testatur dolorem*, v. 4. *Seueram diuinam auguratur vindictam*, quae male sanam laetitiam in acerbissimum luctum sit conuersura. v. 5-12. *Profana illa sacra & epicurea conuiuia denuo detestatur*; quo *rectius incul-*

(z) Gen. XXXI, 22. Jud. IX, 21.

(aa) Ion. I, 3.

(bb) Jud. XI, 3.

(cc) Neh. XIII, 10.

(dd) Neh. XIII, 28.

(ee) Num. XXIV, 11.

(ff) Exod. XXXVI, 33.

inculcet, sequuturi gemitus causam praesentia iubila esse futura. v. 13. 14.

In his qui me non errasse existimet; is in *וַיִּשְׂא*, *vallem visionis*, inquirens, non in ipsam Hierosolymorum urbem, sed *vallem Hinnom*, moeniis eius contiguam, oculos coniciet. Haec enim *infelix illa vallis* erat, in qua *idolis libare* consueverant. Hac in valle, vel in illius vicinia in oliueti monte, *Salomo* complura *idololatrica fana*, in vxorum suarum extrancarum gratiam, iam extruxit. (gg) In illa *Asa* rex matris suae *Miphlezeth* cremavit. (hh) Ibidem *Jofias* rex idololatrica fana & altaria, in quorum aliquibus *infantes in Molochi honorem* cremarentur, & quorum aliqua ex Salomonis aetate superessent, destruxit. (ii) De sui adhuc temporis hominibus hac in valle idololatriam infano impetu sequentibus *Jeremias* conqueritur. (iii) Si iam ista vallis sit, quam libelli prophetici inscriptio sistit; minus commode reddetur, *Vallis visionis* vel *vaticiniorum*: sed verius *Vallis spectaculorum* vel *theatrorum*; vbi profanis *spectaculis* turba teneretur. Vocabuli *וַיִּשְׂא*, *chiffaion*, quod a *וַיִּשְׂא*, *videre, spectare*, descendit, hunc significatum esse posse, nemo negauerit. Quin *proprius* illius *significatus* est; qui *ad vaticinia* non nisi *figurate* transfertur. Non me terret, si *in alio sacri codicis loco de spectaculis* hoc *vocabulum* legi negetur; quod *de vaticiniis* saepius occurrat. Plura enim *vocabula* sunt, quae *in vno aliquo significato* non nisi *semel* leguntur, saepius in

[gg] 1. Reg. XI, 7. 2. Reg. XXIII, 13. [ii] 2. Reg. XXIII, 10. sqq.

[hh] 1. Reg. XV, 13. 2. Chron. XV, 16. [iii] Jer. VII, 29, 34. XI, 16;

in alio. Et quid mirum? Cum facer codex orientis *spectacula* nobis non describat, sed *vaticinia*?

Supereſt, vt in *ſcripti vaticinii tempus* inquiremus. *Achas* rex in valle Hinnom ſacra idololatræ fecit, & liberos ſuos Molocho pro victimis cremavit. (*kk*) Idem *Manaſſes* rex fecit. (*ll*) Vtrum eligemus? Mihi ſane *Achas* præferendus videtur. Huius enim ætate *Eſaiam* ſcripſiſſe, voluminis inſcriptio teſtatur. (*mm*) *Manaſſe* quidem rege eum *ſuperſuiſſe*, cuius ſcelere *ſupplicio e medio fit ſublatus*, *Judæi* tradunt. (*nn*) Nec eſt, cur id in dubium vocemus. Attamen illo rege eum adhuc ſcripſiſſe, voluminis inſcriptio negare videtur. Videtis, præſtantiffimi Commilitones, quid me mouerit, vt ſtatuerim, *ſub Achafi ſtatim regni exordium hunc librum ſcriptum* videri. Nihil enim in prophetæ minis eſt, quod in bellis ſub Achafi imperio *Judæis* vſu veniſſe negari queat.

Plenius hæc, in veſtri gratiam, exponenda eſſe duxi, vt *ſpecimen* haberetis, quomodo in prælectionibus a me dicta examinare & cum ſecus ſententium ſententiis conferre deberetis. Quid enim de ſingulis ſentirem, dicere vobis quidem potui. Cur vero ita de ſingulis ſentirem, vt exponerem, per temporis breuitatem non licuit. Sed nec opus erat; cum *ſubſidiis hermeneuticis inſtructi* rationes facili negotio ſint inuenturi. Hæc vero quam multa

ta

[kk] 2. Chron. XXVIII, 3;

[ll] 2. Chron. XXXIII, 6.

[mm] Ec. I, 1.

[nn] Jebhamoth, fol. 49, 2. Sanhe-
drin, fol. 103, 2.

ta sint, quae requirantur, vel hoc solum specimen abunde testetur. Quare vehementer errat, qui se ex *Commentariis sapere* posse existimat; nisi coecam illis fidem adhibendam censeat. *Parum quoque in hermeneuticis praeceptis praesidii* erit; nisi *sedula & frequens sacri codicis voluminum expositio* accedat, ut, dextrorsum sinistrorsum nos conuertendo, impedimenta remouere & abrupta fastigia feliciter superare discamus. Gratulari sibi debet, qui *peritum ducem* inuenerit. *Nullus vero tam peritus est dux, quin & ipse a recta via nonnunquam aberret.* Nihil enim praescriptis *uiua vox*, intuitu veritatis & certitudinis, praerogatiuae habet. *Sequendus igitur est dux*, eoque consilio sequendus, *ut multa consuetudine assuefactus sibi ipse dux fias.* Qui si non fias, oleum & operam perdidisti.

Multa sunt, pleraque tamen incunda, quae genuinae exegeticae cultor sibi familiaria reddere debet. Pueri audiendis *historiis* auidi iam inhiamus. Quis quaelo, *antiquitatum studio* non delectetur? Amoenae deambulationis instar *Geographicum studium* est. Nihil iacundius est, quam *discere, res comparare, & alterum ex altero deducere.* Solae linguae, solae linguae *plurimum taedii* habere creduntur, & plerosque deterrent. Non nego, aliquid eas taedii habere; quod tamen *incunditate* non contemnenda sit *intermixtum.* Malam vero abeant in rem, qui auditores, quos per viam breuissimam eamque amoenam debebant, *per longissimos desertosque aufractus ducendo*, pessime ad languorem dant! *Sex hebdomadam res est Grammatica Ebraica; trium, Chaldaica; duarum, Syriaca.*

Quo-

Quoniam *Chaldaica lingua* non magis carere potest veteris foederis monumentorum interpres, quam Ebraea; nouoque plurimum lucis *Syriaca* affundit: *instanti aestiuo semestri*, Vobis, Commilitones, quotquot vestrum ultra vulgum sapere cupiunt, ceteri enim carere iis possunt, haec linguae breui & perspicua methodo, *publicis praelectionibus*, propinabo. Qui Grammaticae ebraeae peritia probe instructi accesserint, eorum nemo de harum linguarum difficultatibus conquerendi materiam habebit.

Vt priuatim sibi *Zachariae & Danielis vaticinia* explicarem, nonnulli rogarunt. Si labores pertimerem, aliquod respirandi spatium essem petiturus. Sed si vestrum ardeat, meum non frigebit studium. Vos quidem maesti estote vestra virtute & industria. *Id vero maxime agite, vt neque meis neque aliorum sed vestris ipsorum oculis videatis.* Scrib. in Acad. Georgia Augusta, d. XXI. Mart. MDCCXLIV.



Fd 5611

ULB Halle
002 715 18X

3





PH 306

VD 77

NC







29

FINITIS IN ESAIAM SCHOLIS
DE
VALLE SPECTACVLORVM

Es. XXII, 1.

DISSERT

ET

PRAELECTIONES PVBLICAS

IN

FVNDAMENTA CHALDAICA ET SYRIACA

PRIVATASQVE

IN ZACHARIAM ET DANIELEM PROPHETAS

INDICIT

ANDR. GEORG. WAEHNER

Lingu. Or. P. P. O.



ad.

GOTTINGAE,

APVD A. VANDENHOECK, ACAD. TYPOGR.

